

**Literarum patronis ...
æstimatoribus rector academiae
Aboënsis Hermannus Ros...**

Ross, Herman,

17 Taad Fol.



L I T E R A R U M P A T R O N I S,

Et

Æ S T I M A T O R I B U S

Rector Academiæ Aboënsis

H E R M A N N U S R O S S.

S. P. D.

396
8

Imperiorum & Rerumpublicarum, quas Regnantium Dominus ab orbe condito inclarescere ac e-
minere voluit, primas partes Romanam tulisse, omnes quotquot non rudes sunt historiarum, magna sapientum consensione confirmant. Etenim si vel finium ampli-
tudine, exercituum robore, victoriarum gloria; vel denique administrationis prudentia & diutina conservatione, rem reputaverimus, hæc utique prima & sola post
hominum memoriam, pulcherrimam totius orbis partem complexa, ortum & occasum terminos suæ dominationis posuit; hæc multas longisque intervallis disjunctas Regio-
nes, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, feritate truces, majore sui sæpius periculo quam damno perdomuit, ausa sic orbis imperium sibi sumere, ne esset fere gens ul-
la, quæ ejus detrectarit obsequia. Atqui si certissimum est antecelluisse etiam reliquis longius, dubiamque potentissimæ cuique genti palmam fecisse, mirari omnino subit, qui-
bus subnixa viribus, quibusque vitæ institutis suffulta, hæc summa penes Romanos potestas & rerum principatus, in tantum Majestatis fastigium evecta assurrexerit, nominisque
sui magnitudinem impleverit; sane pensitata re, præter providentiam divinam imperia suis quæque limitibus & periodis circumscribentem, non armorum rei que militaris pe-
ritia ac firmitudine, variis licet durata periculis, quin vero potius literarum solertia, inprimis æqui justique cultura, in tantam amplitudinem & potentiam succrevisse, tutius adferi credide-
rim. Equidem magni & fortis est animi vincere: ast ita vincere, ut victi non invite pareant, neque se tam victos quam felicitate auctos fateantur, summa est imperantium
gloria, & prudentia vere imperatoria; neque adeo proficuum adquirem felicitatemque civilis vitæ ingenia mavortia nimis invalescere, nisi prudentiæ & justitiæ suus sibi constet
honor. Celebris enim posteaquam Roma, liberalium arrium sedes tacta est, extulit mirandum in modum ætas illa & eam insequentes decora valde ingenia, quæ communi
consulerunt egregio. Inde, in more prisce Romanis positum constat, ut quam provinciam in barbara gente fecissent, eam mox novis deductis coloniis, ludis literarumque præ-
ceptionibus instruxerunt liberalissimis, rati nunquam sibi totas fore provincias, nisi exuerentur barbarie, imo nec stabilem contore rerum quem moliebantur statum, nisi omni-
genis studiis subacti, mores benignos & humanitati congruentes in gentem inducerent; ita, quamdiu Romani in conformatione animi ad rectam rationem; in actionibus ho-
nestis vitæ & acri virtutum studio, in meritis erga singulos & rempublicam præminuerunt, magnis passim laudibus efferebantur, præclaris perfuncti, res feliciter usque quæq;
cesserunt. Verum enimvero uti non sic satis prospectum tantæ amplitudini & diuturnitati præviderunt, nisi una vinculo legum statutorumque repagulis ad usum civitatis suæ
& reipublicæ comparata tanta moles compingeretur, tam vastum imperium tamque late patens dominatio arcte contineretur, diffusissimi juris disciplina circumsepiri debuit: hinc
jam tot in codice tituli & capita circa personas, actiones & res; tot senatus consulta; tot constitutiones Augustorum, tot plebiscita, tot prætorum edicta, tot Censorum judicia,
jus illud Romanum, quod neque in totum a naturali abit, vel gentium recedit; nec tamen per omnia ei servit; hic sane illa continetur prudentia, sine qua haberi florereque
justitia & suus cuique status atque fortunæ salvæ esse non possunt: hac gentium pax regnorumque securitas maxime nititur: hoc illud jus est, quod exquisitissimis curis
per tot seculorum spatia ad illam scientiæ præcellentiam provexerunt clara ingenia, quam adhuc pleræque gentes in suis conditoribus admirantur. Hoc studium tanti momen-
ti, tamque late pater ut excellentissimi etiam ingenii homines & qui nullum temere laborem detrectant illi vix sufficient, etiamsi hoc unice agant quod ex muneris lege si-
bi impositum credunt. Haud vero censendum consensisse has laudes in Gente nostra, hoc evuluisse studium, cum diffusum pariter jus Patrium civile antiquum illud & re-
centius, quo Imperium Sævo-gothicum hætenus in jure dicundo stetit, quod conditores antiqua virtute & fide, sanctitate & præstantia insignes, ita commendat, ut
neque magis *Juris consulti* quam *Justitia* voce dignitatis plena & perampla, prudentiæq; laude non minus extra, quam intra Patriam celebrari meruerint. Quumque
Codicem juris Svecani solidis & curatis illustrationibus interstinctum & locupletatum speret Patria proditurum, pristinum quoque genti justitiæ nomen famamque in lu-
cem & usum revocari confidimus. Hic itaque erit campus in quo præcipue felicitis ingenii, uberis doctrinæ & magnæ diligentæ ponent monumenta, qui in hoc studiorum
genere excolendo prænitescere cupiunt. Id propter est quod impense sibi gratuletur hæc Mularum sedes, cum ex SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE REGIS FRIDE-
RICI, DOMINI nostri multo Clementissimi gratia nobis indies accessionibus augeri & foveri. Ordinem Professorium submissa veneratione videmus. Quippe Virum omni-
genæ eruditionis & prudentiæ Celebritate PRÆCLARUM, CONSULTISSIMUM & AMPLISSIMUM DOMINUM SAMUELEM SCHULTEEN, Professorem Juris Romani & Pa-
trii Publicum & Ordinarium gratiosissime in REGIA hac Acad: esse juslit. Quæ vero & quanta sint merita Viri Amplissimi, vel iter illud apud externos literarium, non per Belgium modo
& Germaniam sed & lustratas Gallias, loquitur, ubi cum maximis seculi viris & notitia ipsi fuit, & usus intercessit. Certe non is est, qui magno conatu & strepitu nihil age-
re pulchrum duxit, sed quæ imitamento virtutis & augendæ eruditioni essent, ut ab inutilibus utilia, quæque momentum trahunt, ab iis quæ scire nostra non intersunt, pru-
denter seceverit; Vir, cui Rabularum argutiæ fictæque ad jus pervertendum captiones, non placent: cui nihil pestilentius arte illa, qua innocentæ imminent homines in omnia
pecuniæ quam recte faciendi cupidores, dignissima hominum natio, quæ pessime semper audiat. Inde etiam per annos bene multos perfunctus est negotiis ho-
noribusque publicis, cum & in Patria administrantibus summa rerum adfuit, majorem sic quoque earum rerum nactus peritiam, in quibus Civilis Viri & Jure Consulti
officia cum maxime versantur, abs quo proinde, ut quem & doctrina finxit & prudentia perfecit, nihil nisi eximium poterit expectari. Jam introductioni Ejus ad Professorium mu-
nus cum dictus sit dies hujus Mensis Quintus, Singulos Literarum Patronos, & Æstimatores cujuscunque dignationis & ordinis reverenter & officiose rogo ac obtestor, velint hunc
actum prælustri & honorifica sua præsentia, cum signum Campana datum fuerit, condecorare. Dab. ABOÆ d. III. Nov. Anno MDCCXXIII, sub Sigillo Universitatis.



LITTERARUM

ESTIMATA

Rechtliche Abhandlung

HERMANN ROSS

1852

Magister & Privatdozent an der Universität Bonn

Magister & Privatdozent an der Universität Bonn, in Bonn, den 1. März 1852.

Handwritten text, including a signature and date, with some corrections and a circular stamp at the bottom center.

